# DE GASTRO- ET ENTEROMALACIA INFANTUM, ADIECTA MORBI HISTORIA.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

**FRIDERICA GUILELMA**

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

*DIE XXX. MENS. MARTII A. MDCCCXXXVII.*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**EDUARDUS LUDOVICUS REHFELD**

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

K. HELMUTH, MED. ET CHIR. DR.
F. PROTZ, MED. ET CHIR. DR.
T. LOEFFLER, MED. ET CHIR. DD.

**BEROLINI,**

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOCTISSIMO

# J. COHN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, AQUILAE RUBRAE INSIGNIBUS ORNATO ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PROŒMIUM.

Cum majorum mos imperaret, ut, Doctoris Medicinae ac Chirurgiae gradum consecuturus de aliqua re dissererem, diu angustiis pressus ignorabam, quamnam ex farragine illa magna describendam mihi sumerem materiem.

Observationes enim, quae scribendi copiam mihi facere potuissent, partim materias spectabant, de quibus, quantum satis, nuperrime est scriptum, partim campum aperiebant nimis amplum, quam ut ei exarando, sat diu immorari possem. Tandem, quum modo hoc, modo illud thema elegissem et rejecissem,

de Gastro- et Enteromalacia infantum, morbo maxime obscuro, quamquam meritissimi de re medica et experientissimi viri in eo illustrando versati sunt, disputare decrevi. -- Nova quidem in lucem neque profero, neque propria in describendo morbo utor experientia; attamen operae pretium habui, collatis de morbo attentione dignissimo diversis scriptorum sententiis, quid sit tenendum, quid rejiciendum, sedulo enucleare. — Ceterum vos, qui forsan hasce primitias literarias legatis, velim rogatos, ut, si forte opusculum hoc desideriis vestris non plane respondeat, tironis viribus tenuioribus indulgeatis. —

Nemo certe est, qui neget, ex anatomia pathologica, quam novissimis decenniis insigni cum amore et diligentia excultam, et ad incredibilem paene dignitatem et perfectionem evectam videmus, in artem medicam maxima emolumenta redundasse. Cadaveris sectio nunc qnemque fere gravem et insignem, hac illave parte notabilem, morbi casum insequitur, et tenebras medico apud aegrotantem obvias, in mortuo dilucidat. Facile autem intelligis, tum tantum cadaverum sectiones verum nobis afferre fructum, si, quae invenimus, cum morbi praegressi imagine accurate comparare licet. Tali modo causas inter has, quae multis, antea maxime obscuris et dubiis, morbis subsunt, cognovimus, simulque de curandis hujusmodi morbis certiores redditi sumus, cum anatomicae disquisitiones medendi methodum, quae fabricae alienationibus a nobis inventis respondeat, ostenderint. Quae modo dicta prae ceteris in Gastro- et Enteromalaciam conveniunt, quae novissimis demum temporibus ad medicorum pervenit notitiam. J. Hunter 1), vir in medicina et chirurgia aeque egregius, primus huncce morbum peculiarem observavit, observatumque publici juris fecit. Cum jam

---

1) Hunter on the digestion of the stom. after death. aus d. philos. transact. in den Observ. on different ports of animal occonomy p. 226 — 231.

saepius inter sectiones accurate institutas tunicam mucosam intestinalem emollitam invenisset, degenerationem hancce strenua diligentia, quae eum decebat, et studio alacri investigabat, et exemplo suo reliquos quoque artis peritos ad disquirendum huncce morbum gravissimum invitabat. Dolendum autem est, quod vir ille magnus in tantum ceciderit errorem, ut emollitionem illam, a morbis sejunctam, morti imputet eamque a concoctione post mortem continuata derivet; quae quidem opinio, physiologis nostri temporis fere ridicula visa, meritae tradenda est oblivioni. Jam vero Huntero duce multi alii medici ad hanc morbosam degenerationem et ingenium et studium adverterunt, quorum dignissimi sunt, quos nominem: Allan Burns 1), Adams 2), Wilson Philipp 3), qui, etsi tam morbi naturam, quam ejus causas leviter tractent et vix materiem hancce maxime ambiguam adumbrare studeant, justas sibi laudes eo pepererunt, quod cadaverum attentionem in morbum nostrum converterunt et ad diligentiorem indagationem impulerunt. Jaegar 4) primus emollitionem ventriculi et intestinorum accurate et diserte descripsit, sed et ipse de concoctione post mortem multa verba fecit. Novissimis denique temporibus non solum de morbi historia, sed potissimum de ejus diagnosi prae ceteris snmma sibi conciliarunt

1) Allan Burns Observation on the digestion of the stomach after death. Im Edinb. med. and. surg. Journal. Vol. VI.
2) Adams on the digestion of the stomach after death. In anwer to Dr. Burns. Im London. medical. Journal. Vol. XXIII. p. 399 — 418.
3) Ueber die Gesetze des Lebens von Wilson Philipp, übersetzt von Joseph v. Sontheimer Stuttg. 1822.
4) Ueber die Erweichung des Morgengrundes. In Hufeland's Journ. Mai 1811 p. 3 — 30. — Jan. 1831. p. 15 — 73

merita Cruveilhier 1), Andral 2), Chaussier 3), Lenhossek 4), Laisné 5), Camerer 6), Krüger 7), Richter 8), Rhades 9), Teuffel 10), Toël 11), Ramisch 12), Wiesmann 13), Vogel 14), Wittmann 15).

---

1) Cruveilhier über die gallertartige Erweichung des Magens und der Gedärme. Aus dem Franz. übersetzt von C. Vogel. Liegnitz 1823.

2) Andral in repertoire général d'anat. et de physiologie pathologiques. Tom. 1 à Paris 1836. p. 152 — 195.

3) Chaussier in Dict. des sciences méd. Tome XL. 1829. p. 328.

4) Lenhossek in Beobacht. und Abhandl. aus dem Gebiete der gesam. Heilkunde von Oesterreich. Aerzten. Bd. III. p. 309 — 352. Wien 1823.

5) Laisné Dist. considérations médico-ligales sur les erosions et perforations de l'éstomac. à Paris 1818.

6) Camerer Versuche über die Natur der krankhaft. Magenerweichung Stuttg. 1828.

7) Krüger in Horns Archiv 1824. Jan. Febr. p. 107 — 113.

8) Richter in Horns Archiv. 1824. Septbr. Octbr. p. 227 — 238.

9) Rhades in Horns Archiv 1822. Septbr. Octbr. p. 226 — 238.

10. Teuffel in Annalen für die ges. Heilk. unter Redakt. der Mitgl. der Grossherzogl. Bad. Sanitäts — Comm. 2 Jahrg. 1825. 1 Heft p. 199 — 204.

11) Toël in Horns Archiv 1824. Mai, Juni p. 478 — 483.

12) Ramisch. De gastromalacia et gastropathia infantum. Pragae 1824.

13) Wiesmann in Horns Archiv 1824. Septbr. Octbr. p. 200 — 211.

14) Vogel Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft 1816. p. 225 — 262.

15) Wittmann in med. Jahrbüchern des k. k. österreich. Staats. Neue Folge. Bd. 1. St. 4. Wien 1823. p. 532 — 539.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Si quis est, qui miretur, quod ego de Gastro- et Enteromalacia una disserere velim animo perpendat quaeso, utrumque morbum fere nunquam solum inveniri, cum alter ex altero plerumque prodeat, vel cum altero per intimum consensum consocietur, et symptomata morbi utriusque vix, ac ne vix quidem distingui possint, ita ut nemini certe medicorum contingat, quae Gastromalaciae et quae Enteromalaciae sint tribuenda, definire. Itaque nimia ista subtilitas, cum ad curationem nihil pertineat, plane omittenda videtur.

Diagnosis Gastro- et Enteromalaciae re vera admodeum est difficilis. Auctores cum diligentia imitatu digna multas et varias quidem affectiones enarrare studuerunt, quibus morbi imago componitur, sed eheu! in hac symptomatum congerie nullum invenies signum pathognomonicum, quod per se morbum praesentem constanter indicet. Observationes numerosas a Cruveilhier in libro supra laudato enarratas si inter se comparamus, etiam constantissima, quae habentur, symptomata desiderari interdum in morbo nostro nobis persuadebimus.

Cruveilhier eoque duce omnes reliqui auctores, tria distinguunt morbi stadia:

### Stadium primum s. prodromorum.

Infans, qui ad hoc tempus bene se gessit, subito in inquietem incidit, ex somno facile expavescit, simul color faciei saepius variat. Quae dum fiunt, appetitus

ciborum minor et varia apparent digestionis perturbatae phaenomena, quibus vero mox convulsiones musculorum faciei et extremitatum superveniuut. Alvus, cujus prae ceteris ratio habenda est, modo tardior modo citior, omnino irregularis evadit. Facies infantis pallescit, epigastrium dolet, et haud raro catarrhales pulmonum affectiones, Rhades 1) teste, in conspectum veniunt. — Quae symptomata octo vel quatuordecim dies tenent et tam a parentibns, quam a medico facile negliguntur, vel aliis morbis adscribuntur. Interdum vero omnia illa symptomata desunt ita, ut morbus, praesertim ubi acutam prae se fert indolem, subito et sine prodromis praesagientibus in

Stadium secundum trans eat.

Infans jam antea morosus et aeger, nunc omnem exuit hilaritatem, diarrhoea increscit, qua faeces virides, spinaciae contusae similes, vel partim mucosae partim aquosae, putridae et foetidissimae, ejiciuntur, quarum copia modum excedit. Simul infans in dies morosiorem sese gerit, quidquid afferas, ei ingratum est, et ne medici quidem vel adstantium intuitum bene fert. Quem miserum sitis ardens inexplebilis assiduo cruciat, et loquendi impos oculis poculum persequitur, avide ad os avidum rapit et funditus exhaustum tandem rejïcit. Contra vero omnem aspernatur cibum et si adhuc maternum lac haurit, nihil nisi mammas maternas desiderat. Abdomen plerumque tumidum est; inprimis regio epigastrica, quae ardet et jam levi tactu valde dolet, quare infantes continuo clamant et femora ad abdomen

1) l. c.

flectunt. Quas molestias febris comitatur vehemens, pulsus, initio valde frequens celer et duriusculus, postea retardatur et deficit. Lingua per totum morbi decursum pura et fervida, labia arida, manus, praesertim volae, vehementer ardent; morbo autem procedente frigus et ardor mutuas vices agunt, denique rigor intrat, qui saepe jam primis morbi diebus apparet. Quae dum fiunt, tussicula oritur cum regurgitatione, quam vulgo vomitus sequitur, quo cibi deglutiti, vel massae mucosae et biliosae redduntur. Continua diarrhoea infantis vires consumit, emaciatio corporis rapide procedit et in collo praecipue sese manifestat, cujus cutis flaccida corrugatur 1). Facies pallescit et singularem induit speciem, quae medicum peritum raro fallit, sed de praesente malo abdominali certiorem facit. Animi functiones hoc in stadio nunquam turbatae, imo interdum adauctae sunt. Quod morbi stadium descriptum duos ad quartuordecim dies explet, veruntamen ubi morbus chronicum habet decursum, per unum vel duos menses sese protrahi potest.

## Stadium tertium

Vomitus, qui antea interdum tussi tantum et regurgitatione inducebatur, et, ut ita dicam, non nisi tussim gastricam referebat, nunc vehementior et frequentior, paullatim continuus fit et morte jam imminente tandem desinit. Omnes cibi et potus ingesti vomitu statim rejiciuntur, deinde acidae viridescentes fuscae materiae eliminantur; simul secessus alvi in dies frequentiores, massas illas peculiares, foetore putrido praeditas, virides et gramini conluso haud dissimiles,

1) Cruveilhier l. c. p. 44.

ostendunt. Pulsus nunc tardum inaequalem et debilem se praebet; epigastrium ardet, dum extremitates plerumque frigent, imo tandem algent. Infans tot et tantis doloribus defessus in lipothymiam incidit, ex qua tamen facile excitari potest. Tunc morositas, gradum paene incredibilem nacta, infantem valde inquietum reddit, quippe qui locum semper mutare et brachiis gestari cupiat. Vires valde sunt debilitatae, ita ut caput non amplius erectum, sed modo dextrorsum, modo sinistrorsum inclinatum videas. Symptoma certum et, uti Blasius 1) contendit, nunquam fallax Agrypnocoma est, quo mutationem totius habitus, imprimis coloris, qui in pallorem livido sordidum mutatur, comprehendimus, et quod, quamvis omnibus morbis abdominalibus majoris momenti superveniat, tamen in Gastro- et Enteromalacia praecipue invenitur. Hoc morbo aegrotantes omni turgore vitali privati valde macrescunt, semper stupore ut videtur, premuntur oculis semiclausis, sed facile excitantur, ita ut hunc statum jure coma vigil nominare possis. Mors vel paulatim viribus magis magisque exhaustis, non raro animi facultatibus nullo modo turbatis, vel cito, convulsiones, respirationem retardatam oculosque distortos secum ferens, intrat.

Haec symptomata in Gastromalacia vulgo reperiuntur, in Enteromatacia parum discrepant; discrimen certum in utraque huc usque non habemus. Imprimis infantes hoc morbo afficiuntur, qui aut in tota parte superiore, aut in singularibus tractus intestinorum locis apparet. 2) Febris comitans, plerumque levis, con-

1) Blasius in Rust's Magazin für die gesammte Heilk. Bd. XXVII. Seite 455.
2) Ramisch. l. c. Burns l. c.

tinentem typum prae se fert, et diarrhoea continua et vehemente, vel modica, vel justo largiore alvi excretione, imo etiam, quod tamen rarissime fit, nulla stipatur. Decursus plurimum acutus, raro chronicus est 1). Intestinis tandem ruptis, contenta in cavum abdominis effunduntur et mortem plerumque subitam arcessunt. —

## DIAGNOSIS.

Morbum nostrum imprimis infantilem aetatem infestare, satis compertum habemus attamen, quod auctores fide digni affirmant, etiam provectiori aetate interdum apparet. Inter multos morbos quibuscum Gastro- et Enteromalacia forsan confundi possit, liceat Hydrocephalum auctum, febrem verminosam et dentitionem commemorare quae malaciam non solum haud raro comitantur, sed etiem huncce morbum, quasi malum secundarium, provocant, fere semper enim cadaverum sectio praeter Gastro- et Enteromalaciam notam abnormitates aliorum quoque organorum ostendebat, ut in encephalo, in pulmonibus, in hepate, in renibus et in splene 2). Hydrocephalo acuto in stadiis diversis, quem Goelis 3) eximie descripsit, respecto, haud facile mutatio cum Gastromalacia fieri potest. Quamquam in stadio inflammatorio Hydrocephali vomitus quoque adest, caput tamen turgescit, oculi vulgo splendent et prominent, sensibilitas valde est adaucta, imprimis organi auditus et visus; abdomen collapsum,

1) Louis Anat. pathol. Untersuchungen über die Erweichung mit Verdünnung und Zerstörung der Schleimhaut des Magens. Aus dem Franz. von Bünger. Berlin 1827.

2) Fleischmann Leicheneröffnungen. Erlangen 1815.

3) L. A. Gölis. Prakt. Abhandl. über die vorzügl. Krankheiten des kindl. Alters. Bd. I. Von der hitzigen Gehirnhöhlen-Wassersucht. Wien 1820.

obstructio alvi pertinacissima, caput nimis calet, dum abdomen vel normalem, vel febri praesenti convenientem calorem praebet. In Gastromalacia quidem vomitus symptoma certum exhibet, attamen diarrhoeae peculiares, epigastrium tumidum et dolorificum, facies collapsa et pallida, diagnosin certiorem reddunt. Gastromalacia quoque saepe a diarrhoea orditur, vomitu serius subsequente, in Hydrocephalo statim ab initio vomitus et obstructio alvi, purgantibus fortissimis vix tollenda, plerumque adest, ita, ut interdum faeces induratas farcimini similes in colo sentias. In stadio exsudationis sopor et haud raro facies pallida adest, infans aegrotus supinus cubans occiput sub stragulis defodit, difficulter aut nullo pacto e sopore excitatur, pupillas offert dilatatas, res circumdantes minime curat sitis minus vehemens est. Infans gastromalacia laborans, ut videtur, sopore affectus est, sed clamore facile excitatur, circumspicit morosus, multum clamat, sponte diversos situs eligens, saepissime potum appetens. In stadio denique paralytico Hydrocephali spasmi apparent, qui in Gastromalacia quidem occurrere possunt, attamen symptomata et totius morbi decursus hic malum encephali, illic malum ventriculi et tractus intestinorum indicant. —

Inter Gastromalaciam et febrem verminosam difficilius discernere possemus, si recentiores medici a veterum sententia non discessissent, qui entozois horribiles illas destructiones tractus intestinorum tribuerunt. Anatomia pathologica, sectionibus cadaverum accuratis nixa, et per zootomiam adjuta, Wichmanni1) do-

1) I. E. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Wien 1807.

ctrinam satis probare videntur: Helminthiasin morbum non esse. Si tamen, tale refugium aspernantes, Helminthiasi morbi peculiaris nomen tribuimus, vomitum, maciem celeriter apparentem et agrypnocoma in ea desideramus, ita ut medicus parum practicus et obiter peritus inter utrumque morbum facile distinguere possit. —

Nunc tantum de dentitione pauca afferenda sunt, quae, quum ne morbus quidem, sed evolutionis periodus sit, symptomatibus Gastromalaciae, sicuti Helminthiasis, plane caret. —

## NECROPSIA.

Infantis cadaver Gastromalacia defuncti aperientes ventriculi malaciam plerumque in illo loco, qui spleni adjacet, invenimus; ventriculi membranae solutae et tumidae gelatinosam, pellucidam et pultaceam indolem praebent, quae saepe per omnes hujus organi tunicas extenditur. Membrana mucosa si sola malacia affecta est, muci instar abstergitur, contextu ejus ita soluto, ut, si involucrum peritonaei leniter premas, rumpatur et foramen in tunica mucosa oriatur. In summo emollitionis gradu intestinorum substantia adeo est mollis, et degeneratio trium membranarum adeo progressa, ut fere dissolutae diffluant et sponte foramina multa appareant, quae diametrum unius vel quatuor digitorum exhibent. Circa ambitum malaciae interdum sanguis inter ventriculi membranas effusus reperiebatur, interdum ventriculus, hoc loco fusco-ruber apparens, vasis varicosis scatebat. Locus perforatus quasi excisus cernitur et marginibus laevibus, acutis circumscribitur.

Interdum Gastro- et Enteromalacia simul inveniuntur quo in casu jejuni vasa injecta, et variis in locis membranam mucosam partim rubram, partim emollitam conspicimus.

H e s s e 1) tres malaciae gradus discernit: in primo, structura ventriculi nondum diruta, sed laxa et mollis est; in stadio secundo textura magis dissoluta malaciam gelatinosam et extensam refert, ita tamen, ut organorum forma servetur. Tertius vero ubi adest gradus, ventriculi parietes, in aequabilem, fere fluidam et gelatinosam substantiam mutati organisationem fere nullam praebent; peritonaeum tum saepe degenerationis particeps et ventriculus pluribus in locis perforatus est.

## AETIOLOGIA.

### C a u s a e p r a e d i s p o n e n t e s.

Malacia stricte sic dicta gelatinosa infantes tantum afficit et quidem primis vitae annis, plerumque a mense aetatis quarto, usque ad exeuntem annum primum cum dimidio. Saepissime igitur infantes Gastromalacia laborant tempore ablactationis et dentitionis, praesertim, quibus nimis mature et cito mammae matris auferuntur et alimenta alia suppeditantur, quae cum teneritate organorum digestionis non congruunt. (Infantili aetate vegetatio tantum praedominatur, et experientia docet, partes internas et externas, quo magis irritamentis externis exponantur, eo saepius aegrotare). Infantis ventriculis alimentis fluidis assuefactus, nimis adhuc tenuis est, quam qui solida digerere pos-

1) Hesse Ueber die Erweichung der Gewebe und Organe d. menschl. Körpers. Leipzig 1827. S. 174 — 189.

sit, itaque in morbum incidat necesse est. Ante omnes nutricam prolem hoc morbo affectam videmus, quippe quae lacte materno non usa, a vetulis educetur ibique male tractata et cibis onerata, mortem praematuram obeat. 1)

### Causae occasionales.

Huc inprimis pertinent alimenta corrupta, praesertim lac matris aut nntricis pravum, si infans nimis mature et incaute a mammis arcetur et lactis inops alimentis crudis, pane cibario acido nutritur. Haud ultimum causale morbi nostri momentum transpiratio quoque suppressa affert. Praeterea malnm varios morbos, febrem verminosam, intermittentem 2) aliasque febres malignas, putridas, vel adynamicas, morbillos suppressos, sequitur 3). Etiam Cruveilhier hanc morbi speciem epidermicam vidit, eodem tempore magno diarrhoearum febriumque intermittentium numero grassante. —

Hoc loco aptum videtur, de morbi nostri natura et indole paucis disserere. Medicorum sententiae de iis, quae Gastromalaciam efficiunt momentis nullo modo congruunt. J. Hnnter, Allan Burns, Adams, W. Philipp, 4) morbum pro autopepsia ventriculi habebant, vi solvente et post mortem etiam agente succi gastrici nimis acris ventriculi tunicas chemice solvi putantes, ideoque de aliqua post mortem digestione cogitantes. Sed cum ex aliis experimentis physiologi-

---

1) G. F. Most Encyklopaedie der gesammt. medicin. und chirurg. Praxis. Leipzig 1833. Bd. I.
2) Cruveilhier l. c.
3) Hesse l. c.
4) l. c.

cis, tam maxime ex iis, quae in America Beaumont 1) instituit, notum est, succum gastricum non nisi ingestis tunicas mucosas irritantibus secerni, praeter digestionem vero non modo non acrem, sed ne ullum quidem ventriculo inesse succum gastricum. Illa igitur theoria, nullo modo comprobata est. —

Quod F. Hoffmann proposuit, ventriculum bili nimis acri corrodi, haud minus, quam eorum epinio, qui a nimia succi gastrici alkalescentia morbum deducunt, rudi pathologiae humorali originem debet, quum neque bili, neque succo gastrico vis adeo corrodens insit. —

Cruikshank 2) Gastromalaciam ventriculi vocat consumptionem, vasorum resorbentium nimis aucta actione inductam. Sed ne haec quidem theoria talo nititur satis firmo; vasa enim resorbentia solida non resorbent, quare, quomodo gelatinosa illa emollitio oriatur non est, unde explicetur.

Jaeger 3) quidem Gastromalaciae naturam in morbosa nimisque profusa acidi acetici ut analogi perversi succi gastrici secretione ponit, quam paralysi ventriculi nervorum, prae ceteris nervi vagi, effici putat. Sed unde oritur haec nervorum paralysis? Acidum illud aceticum num revera tam acre est, ut ventriculum possit corrodere? Nervi vagi paralysis propter arctissimum cum ganglio coeliaco connexum nonne potius totalem omnis secretionis defectionem, quam incrementum ejus efficiat? Jllorum denique nervorum paralysin nonne subito mors sequatur, quod fieri con-

1) cf I. Mueller Physiologie Bd. I. Abtheilung 2. S. 513.
2) l. c.
3) l. c.

stat plaga ventriculi regioni illata, ortaque inde plexus coeliaci apoplexia?

Philosophorum, quorum in animis polaritas summum tenet locum, unus est Fleischmann, qui quidem distinguit polum Hydrogenii et Oxygenii. Sed quid haec ad illustrandam nostri morbi naturam valeant, non video; verborum quidem copia splendent et quamvis sint mania, acutae scientiae specie fallunt. —

Maxime tamen illi in errore versari videntur, qui Gastromalaciam morbum peculiarem esse negantes, Gastritidis communis sequelam fortuitam, ut Wendt, 1) vel adeo solius putredinis animalis effectum, ut Goedike et Rudolphi 2) esse arbitrantur. Talia quidem qui proponunt, quominus notitia morbi illius infantilis periculocissimi amplificetur, impediunt, quum aut eum plane negare aut varios morbos miscere debeant. —

Secundum Cruveilhier malacia degeneratio est ex irritatione orta, quae materiae perspirabilis retentione efficitur; secundum Chaussier et Laisné ex ventriculi erosione et ulceratione, quae, ichore secreto ventriculum tangente, etiam magis increscat. Sed ne hae quidem theoriae satis sunt confirmatae. Quaeritur enim, quaenam illa sit materia perspirabilis, qualis sit porro et num revera tunicam mucosam tali modo mutandi vim habeat? Ulceratio vero magnopere differt a malacia ichorque secretus cum emollita tunica mucosa vix est comparandus. —

Spitta gastromalaciam ex vero involutionis processu explicare studet; censet enim reproductionem

1) Wendt, Lehrbuch der Kinderkrankheiten. Breslau.
2) Rudolphi Grundriss der Physiologie. Bd. II. Abtheil. 2. Berlin 1828. p. 118 — 120.

ad gradum priorem redire, in quo maxima receptivitas et potentia tubi intestinalis intensa et assidua nervorum vi egeat, sed eadem hoc ipso tempore privetur. Sed haec quoque theoria interrogari jubet, tunica mucosa num primum mucus sit, et quanam re intercepta nervorum vis demonstretur?

Non minus argumentis destituitur Lenhossekii1) theoria, qui putat, cerebri malum aliquod in ventriculum agere per sympathiam et partim ejus organisationem ita mutare, ut vi liquorum animalium solventi non amplius possit resistere, partim ventriculi atque intestinorum succos nimium acres erodentesque reddere et quidem, ut verisimile sit, copiosa acidi acetici formatione, quae secretio abnormis, actione vicaria producta, cum cute nexum habere videatur. Sed cerebri illa affectio non nisi consensu oritur, secundaria est, et mere dynamica, humorum vero acrimonia nimiaque acidi acetici evolutio et vis ejus solvens valde sunt problematicae. Attamen, quum verum sit, exanthema miliare acidum, acetico acido simile, e corpore eliminare et Miliaria retropulsa saepius gastromalaciae antecedere, quum etiam per Mostii observationes constet, infantes tantum habitu atrophico instructos et praevalente in digestionis organis acido laborantes gastromalacia affici, illa theoria digna videtur, quae accuratius examinetur.

Jis vero qui nullam illarum theoriarum sectantes medium tenere student, adnumerandi sunt Harles et Ramisch2). Harles enim censet, Gastromalaciam veram quidem non esse Gastritidem, sed adynamicam tu-

1) Lenhossek l. c.
2) Ramisch De gastromalacia et gastropathia infantum. Prag. 1825.

nicae ventriculi intimae pseudophlogosin, quae serius ocius in secretionem morbosam materiae ex muco et lympha plastica mixtae trenseat et sic veram cachexiam sphacelosam procreet.

Sundlin 1) denique gastromalaciam inde oriri putat, quod nervus vagus, et vegetatione et vi dynamica alteratus, praeter normam biochemice in ventriculum agat, eamque perversam actionem produci maxime metastasi miliarium, aut impedita eorum eruptione, metastasibus rheumaticis, cachexiis, dyscrasiis. Quae quidem opinio ad verum propius accedere videtur; defendit eam nempe repentinus et inopinatus morbi ortus in liberis ceterum sanis validisque; dispositio eorum infantum, quorum animi jam prima aetate intendebantur, morositas illa eximia magnaque sensibilitas, virium inanitio rapidissima, connexus morbi cum cerebri malis, maxime cum Hydrocephalo acuto. Origo vero morbi metastatica confirmatur hisce: Miliaribus proprium est ut nervum vagum afficiant; Cruveilhier simul cum gastromalacia in tunica ventriculi mucosa exanthema observavit variolis simile; tum denique dyscrasias et cachexias in vegetationem singulorum nervorum agere eamque alterare posse constat.

De ceteris, quas de gastromalaciae natura in medium protulerunt, hypothesibus nil amplius dicam; nam proh dolor! fatendum nobis est, disquisitionibus hucusque institutis hujus morbi revera protëiformis naturam et indolem nullo modo satis illustratam esse. Quum ut supra diximus, factis sectionibus eorum, quos hic morbus abstulit, praeter notam illam peculiarem ven-

---

1) cf. Berends Vorlesungen von Sundlin. Berlin 1729. Bd. VII. S. 421.

triculi conditionem plerumque in aliis corporis partibus abnormitates haud exiguae inveniantur, praecipue in pulmonibus, in hepate, liene: priusquam vere res dijudicari possit, ad hanc questionem respondendum est, utrum is, de quo agitur, morbus re vera primarium sit ventriculi malum, ita ut cetera organa morbose mutata per sympathiam afficiantur, an secundarium, nempe aliorum organorum affectiones morbosas secutum?

Sub finem hujusce de morbi aetiologia disquisitionis nonnulla de Gastrobrosi, per malaciam inducta, commemorare liceat, quum haec quoque ad explicandam morbi naturam non exigui sint momenti.

Paulus de Wind 1) censet, tunicas ventriculi phlogosi correptas extenuatione insolita aut nimia aëris in ventriculo contenti expansione rumpi; causas vero inflammationis atque expansionis dubias habet.

Sandifort 2) ventriculi membranas nimis extensas adeo attenuari existimat, ut, continuitate sublata, rumpantur oporteat; proinde cum Paulo de Wind quod ad rem omnino consentit. Contra Richter 3) ventriculi rupturam plerumque tussi frequente et vehemente, parietum pressionem vel potius contusionem provocante, exoriri contendit.

Quae tamen omnes sententiae, a singulis auctoribus in medium prolatae, accuratiore investigetione et comprobatione magnopere adhuc egerere videntur, sperare autem licet, fore, ut anatomia pathologica nostris

---

1) Paul de Wind in Verhandlungen van de Holl. Maatscheppy. S. D. 2 St. p. 219. (cf. Sandifert p. 50.)
2) E. Sandifort Observationes anatomico pathol. 1787. Lugduni Batav. Lib. IV. Cap. V. p. 42.
3) l. c.

temporibus tam celeriter progrediens atque incrementa capiens, hanc dubiam rem mox in aprico ponat.

## PROGNOSIS.

Neminem puto dubitaturum esse, prognosin, sicuti plerumque in unoquoque morbo, qui texturae organorum destructione, quasi causa proxima, nititur, in gastromalacia praesertim malam apparere. Accedit insuper quod malum in stadio primo, in quo solo sanitatem restituere licet, tam saepe oculos nostros effugiat. Nam eo tantum tempore, quo emollitio nondum valde progressa est, quo symptomata essentialia nondum plane elucent, ac sitis inexplebilis adhuc desideratur, naturae et artis praesidio confidamus. Vita tum tantum servari potest, ut Hesse1) observavit, si, partibus emollitis remotis, ventriculus cum organo propinquo, plerumque cum liene, concrescat. Ubi membrana mucosa tantum emollita est, natura, nisi ambitus nimis sit amplus, partibus affectis remotis, membranae mucosae regeneratione defectum sarcire, et sanitatem reducere valet. Attamen si membranarum mucosarum vim regenerantem haud validam, et tractus intestinorum, tanquam foci, ex quo organismus totus nutriatur, dignitatem respiciamus, vitam haud diu protrahi, sed phtisin intestinalem paullatim prodeuntem vitari non posse, elucet. Quodsi morbus acmen assecutus est, spes fere nulla affulget. Nervi sympathici, membranis mucosis tantopere laborantibus, functio deuteropathice labefactatur, et non solum vim morbificam communicat cum cerebro et medulla spinali sed simul etiam propter magnum in

1) l. c.

omnes corporis actiones organicas effectum, reproductionem omnem fere perturbat. — Praeterea in prognosi constituenda aetas hominis gradus et decursus morbi ejusque complicationes maximi sunt momenti. Quo quidem aetas tenerior, constitutio infantis debilior, eo facilius morbus abit in exitium. Quo velocior porro decursus, eo pejor prognosis. Si insuper malum cum Hydrocephalo aut Pneumonie complicatum est, periculum vitae eo majus imminet, quod quidem, autore Cruveilhier, minuitur, si febris intermittens accedat. — Ruptura ventriculi et intestinorum mortem inevitabilem infert, qui funestissimus eventus doloribus subito intrantibus vehementissimis, facie collapsa, vomituritionibus, vomitu et ipsis deliriis sese manifestat, et inter horam vicesimam et quadragesimem octavam post perforationem vitae finem imponit.

## CURATIO.

Ex Diagnosi gastromalaciae atque aetiologia ejus difficillime eruendis et propterea dubiis, causam ponas oportet, quod praecepta therapeutica ad curandum morbum perpauca tantum et prius et nunc proposita sint. Quum vero gastromalaciae jam manifestae atque excultae sanatio difficillima sit, imo fere nunquam obtineatur, id agamus, ut medicamina ad prohibendum aut saltem restringendum malum enarremus, quae quidem est curatio prophylactica. Huc secundum Cruveilhier 1) pertinent nutrix sana, temperamento, quantum licet parentum non simili, sed contrario praedita; porro ablactatio serotina, jusculum carnis cum lacte pro nutri-

1) l. c. p. 92.

mento; si diarrhoea jam intraverit, medicamenta omnia omittamus, praecipue anthelmintica. Dein, si infans jam ablactus morbo corripitur, et siti ardente cruciatus nutrimenta liquida tantum assumere cupit, simulque cito macrescit, infantem denuo nutricis mamis admoveri Cruveilhier jubet. Attamen morbo re vera infantem adgresso, potus parcus porrigendus est, lac animale recens, adhuc calidum; infantibus tenerrimis lac maternam dosibus parvis optime praebetur. Insuper Cruveilhier Opii doses parvas, praesertim extracti Opii aquosi, et quidem in gastromalacia per clysmata, in enteromalacia autem per os dandas commendat; efficax remedium externum balnea praebere aromatica, quibus tantum caloris insit, ut infans sudorem emittat, idem autor asserit. Plerumque duo vel tria quotidie praescribit, ita autem, ut infantis viribus atque aetati tempus, per quod infantes in iis morantur, respondeat.

Jaeger 1) ad morbum coercendum nutricem validam et potum e glandibus tostis paratum suadet, pro interno autem usu Liq. kali carbon; Tinctur. rhei aquos; Extract. fruct. aurant. immatur., Syrup. diacod. et aquam foenicul. adhibet.

Pitschaft 2) efficacissimum remedium Acidum pyrolignosum offerre dicit, quo infantem vehementer hoc morbo laborantem sese curasse contendit. Haec enim ab eo proposita est formula:

Rep. Aquae. flor. aurant. ℥ij
Acid. pyrolignos, ʒj
Syrup. emulsiv. ℥j
M. D. S. Singulis horis cochlear minus praebeatur.

1) l. c.
2) Medic. chirurg. Zeitung 1825. Jan. p. 7.

Cujus medicamenti efficaciam adjuvant balnea tepida, quies atque, teste Pitschaft, ptisana edulcorata ex hordeo vulgari parata, sed parvis dosibus porrigenda.

Quod ad Blasii et Rhadis 1) experientiam pertinet, balnea calida et Acidum oxmuriaticum, interne sumptum, morbo atroci optime opitulantur.

Zeller hirudinum applicationem suadet, nec minus Camerer, qui simul Unguent. hydrargyri cinereum inunguit, et ad usum internum Extract. Ratanhae, pomorum aurantii, rad. columbo, aut simarubae et ferum muriaticum laudat.

Jam vero, si periculosissimum his remediis debellavimus morbum, eadem per aliquod tempus, roborantibus additis, adbibenda sunt, quia morbum recidivum saepe fieri constat; praecipue autem medicus nutritionis rationem habeat necesse est, qua in re illa momenta, de quibus jam in curatione prophylactica sermo fuit, respicienda sunt. —

## HISTORIA MORBI.

Carolus B ...., figuli filius, novem menses natus, saepius jam diarrhoea laboraverat, quae vero semper facile et celeriter domesticis remediis cesserat; ceterum fere semper bona valetudine gavisus et nullum alium morbum passus, constitutionem sat validam obtulit, et, quod ad teneram aetatem robustus, sanguine et humoribus abundavit. Ante quatuordecim dies iterum in dyarrhoeam incidit satis vehementem, quae magnam, in dies increscentem, emaciationem inducebat, et om-

---

1) Rust's Magazin Bd. XXVII. 1828.

nem pueri laetitiam et alacritatem paulatim auferebat. Quae symptomata cum per undecim dies fere absque mutatione protracta essent, frequens vomitus accessit, qui una cum diarrhoea perseverante magnas misero inferebat molestias et parentes perterritos medici auxilium petere jussit. Qui vero, cum ex parentum narratione, puero absente, hydrocephalum acutum suspicaretur, tres hirudines ad frontem et epithemata frigida ad caput applicari jussit.

Quae remedia cum prosperum eventum minime praestarent, imo vim morbi nihil diminuerent, postero die parentes miserum aegrotum Policlinico, quod sub auspiciis Ill. Osann floret, tradiderunt. Jam primo obtuitu hydrocephali suspicio vana apparebat, puer enim non solum emaciatus, sed etiam magna virium labe confectus, fere quietus in lectulo jacebat, oculis semiclausis, dormienti haud dissimilis. Turgoris vitalis omnia vestigia in facie fusco-pallescente desiderabantur, oculi subsidentes, nasus attenuatus, faciem hippocraticam exhibebant. Etiamsi puer dormire videbatur, tamen quoque tactu, vel allocutione statim exitabatur, sed mox in pristinam recidit quietem. Frons, ut reliquum corpus, nequaquam calebat, sed pariter ac tota cutis, frigida et sicca inveniebantur. Pulsus debilis, aequalis retardatus potius, quam acceleratus deprehendebatur. Vomitus, qui praecipue puerum cruciabat et sponte et cibis ingestis oriebatur, substantiasque foetore acido et valde ingrato insignes, viridescentes, mucosas, ejiciebat; lingua muco obtecta erat albido, appetitus nullus, et puer, qui prius praeter lac maternum etiam alia alimenta sumserat, omnia reprudiabat, lac e mammis maternis sugendi cupidus, quamquam sitis non

valde adaucta videbatur. Secessus alvi, pluries per diem repetiti, viridem, ex parte caseosam foetidam materiem eliminabant. Abdomen non tumidum, sed tensum, levi intactu dolebat adeo, ut puer inquietus redderetur, si quis epigastrio presso manus statim agitavit. Urina parca a normali indole nihil differebat, Pectoris functiones normales apparebant. Quum in morbi causam occasionalem inquirerem, mater refrigerationem accusavit, quam puer passus sit, simulque se ab exordio morbi lactis secretionem in dies minutam, denique fere sublatam animadvertisse, narravit. Ceterum mulier valida, post puerperium nondum menstruata, lactis secretionis suppressae causam plane ignoravit. — Ad diarrhoeam tollendam, viresque infantis adjuvandas aqua oxymuriatica cum vehiculo mucilagineo praescripta est.

Rep. Aquae oxymuriat. ℥ß
Decoct. rad. Alth. ℥jjj
(ex drachma una parati)
Syrup. alth. ℥j

M. D. S. Singulis horis cochlear minus sumatur.

Praeterea in balneum tepidum puer immissus est. Pro potu, lacte materna omnino rejecto, lac vaccinum cum Infuso theiformi seminum foeniculi porrigebatur. — Jam sub vesperam ejusdem diei vomitus cessit, diarrhoea adhuc perstitit, habitus pueri non mutatus, exacerbatio vespertina febrilis exigua intravit. Cutis laxitas, cum ne balneum quidem transpirationem provocasset eundem obtinebat gradum.

Secundo die status aegroti multo pejorem sese praebuit; jam per noctem vomitus et diarrhoea, imo vehementiores, quam antea, redierant, quibus massae foetidae prioribus dissimiles ejiciebantur. Quibus debilitas infantis ad summum provecta est gradum; supinus cubans continuum soporem offerebat, interdum misera voce gemens. Cutis algida corrugata, pulsus fere inanis, respiratio superficialis, frequens, abdomen tumidum, tensum, calidum et manibus impositis dolori-

ficum sese ostendit. Quae cum ita sese haberent, salutis spes omnis evanuit, mortem enim imminentem tota pueri conditio nuntiavit; proinde ad ultimam vitae flammam refocillandam, haecce remedia in usum vocata sunt:

Rcp. Tinct. Moschi
Aether. acetic. āā gtt. xv.
Syrup. balsamic. ℥ß
Aq. Cinnamom. ℥jß

M. D. S. Singulis horis cochlear minus cum infuso theiformi herbae menth. piger. sumatur.

Abdomini fomenta tepida, ex Infus. flor. Chamomill., assiduo renovata, imponebantur, simul extremitates Spir. camphorato lavandas curavi. Sed, proh dolor! jam tertia hora pomeridiana, symptomatibus illis haud mutatis, spasmi clonici accesserunt, inter quos puer supremum diem obiit. — Cadaveris sectio sedecim horas post mortem est instituta. Externa corporis admodum emaciati species nil memoratu dignum obtulit. Cavo thoracis aperto, sinister pulmo pallidus, in posteriore parte vero lividus, nulla morbi vestigia ostendit. Pleura sinistra in superficie diaphragmatis aliquantulum densa, vix justo majorem aquae copiam continebat. Cor, pericardium, et dexter pulmo conditionem normalem exhibebant, etiam bronchiorum affectio plane desiderabatur. — Diaphagmate sublato abdominis organa investigata sunt. Quod cum fieret, fundus et totus posterior ventriculi paries, parva tantum, quae a pyloro non procul aberat, parte excepta, in massam gelatinosam adeo dissoluti inveniebantur, ut supra dicta pars, etsi ventriculus caute attollebatur, in cavo abdominis remaneret. Anterior tantum paries et pylorus incolumi conditione gaudebant. Non solum cardia et partes ei adjacentes omnino destructae erant, sed etiam oesophageum ostium, ubi in ventriculum transit, per totum fere ambitum emollitum et deletum apparebat, ita, ut nihil nisi peritonaeum et vasa sanguifera instar fibrarum cutanearum oesophagum cum ventriculo jungerent. Margines quibus emollitio circumscribebatur,

partim in flocculos dissoluti, partim attenuati, gelatinosam quidem, sed jam solidiorem massam referebant. Quae ventriculi membranarum maxime esset destructa, utrum externa, an interna, difficilius erat destinctu, nam omnes tres membranae simul et aequo gradu destructae esse videbantur. Attamen ab interna tunica mucosa degeneratio originem cepisse existimabam, cum superficies interna ventriculi circa emollitionem livido-albo colore esset tincta. Reliqua tunicae mucosae pars incolumis ex fusco nigrescebat et tenaci, vix cultro auferenda, pituita obducebatur, quae cum sub aqua abstersa esset, tunica mucosa alba nullam vasorum inflammatoriam affectionem, ne in proximo quidem emollitionis ambitu, exhibebat; in superiore et inferiore ventriculi curvatura emollitio vasis coronariis ventriculi sat conspicuis terminabatur. Massa gelatinosa flavo-fusca nullum spargebat foetorem. Tubus intestinalis ab indole normali nihil differens, emollitione carebat. Splen neque colore neque consistentia quidquid anomali ostendebat. Hepar amplum sanguine vacabat. Cetera abdominis organa nullam obtulerunt a statu normali deviationem. Cavi cranii explorationem parentes non concesserunt. —

---

# VITA.

Ego *Eduardus Ludovicus Rehfeld*, Posnaniensis, mense Februario MDCCCXII. patre *Joanne Andrea Rehfeld*, cujus praematuram mortem valde lugeo, matre *Eleonora*, e gente *Jankowska*, summo Dei beneficio etiamnunc servata, natus et confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis imbutus, Posnaniense Gymnasium, quod t. t. viro Ill. *Stoc*, Directore, florebat, adii et per onnos octo institutionibus praeceptorum humanissimorum usus sum, e quibus Ill. *Stoc* et *Wendt*, directores, Prof. *Czwalina*, Prof. *Poplinski*, Prof. *Mueller*, Prof. *Martin*, Prof. *Wannowski*, insigni benevolentia atque indulgentia morum et studiorum duces mihi fuerunt. — Anno MDCCCXXXIII. testimonio maturitatis munitus, arti medicae operam navaturus, Beroli-

num petii et in numerum studiosorum Academiae Regiae Medico-chirurgicae Militaris *Friderici Guilelmi* receptus, hisce interfui lectionibus:

Ill. *Schlemm*: de osteologia, splanchnologia, de syndesmologia et de anatomia organorum sensuum; — Ill. *Link*: de botanice, de historia naturali, de pharmacologia, et de toxicologia; Ill. *Wolff*: de philosophiae encyclopaedia, de logice, et psychologia; Ill *Turte*: de physice, chemia et pharmacia; — Ill. *Mueller*: de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, de physiologia hominis speciali et experimentali et de physiologia generationis. In arte cadavera rite secandi Ill. *Mueller* et Ill. *Schlemm* duces mihi fuerunt. — Cel. *Eck*: de physiologia speciali; Ill. *Fr. Hufeland*: de pathologia generali, de semiotice et therapia, tam generali, quam speciali; — Ill. *Osann*: de materia medica, de thermis et fontibus medicatis Germaniae, de auxiliis ferendis in repentinis vitae periculis et de cholera asiatica; Ill. *Horn*: de pathologia morborum acutorum de mentis et syphiliticorum morborum curatione; Ill. *Kluge* de fascias rite imponendi arte, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de akiurgia, de arte obstetricia theoretica et practika; Ill. *Jüngken*; de morbis oculi humani, de chirurgia speciali, et de morbis auditus; Ill. *Casper*: de medicina forensi et formulas medicas rite concinnandi arte. —

Exercitationibus clinicis interfui et medicis et chirurgicis et opthalmiatricis, nec non obstetriciis: Ill *Wolff*, Ill. *Osann*, Generos de *Graefe*, Ill *Bartels*, Ill. *Kluge*.

Quibus omnibus praeceptoribus Illustrissimis, cleberrimis, optime de me meritis, maximas, quas habeo, gratias ago. Nunquam tempus eorum memoriam delere valebit.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, nihil impedimento fore, quominus gratiosa medica facultas, dissertatione et thesibus defensis, summos in utraque medicina honores in me conferat, spero.

---

## THESES DEFENDENDAE.

1) *Pulsus in omnibus morbis fallax est signum.*

2) *Trepanatio prophylactica omnino est rejicienda.*

3) *Hydrargyrum specificum syphilidis remedium non est.*

4) *Ligatura penis amputationi est preferenda.*

5) *Vermes intestinales morbum non sistunt.*

---